



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Via Veritatis Ad Vitam Sev Exercitia Spiritvalia

Haineuve, Julien

Antverpiae, 1652

Qvarto Die. De emendatione Vitæ ad exemplum Christi Domini, quod ad tres illos actus perfectionis, abstinere, agere, pati, reducitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60125)

QVARTVS DIÉS.

De emendatione vitæ, ad exemplum Christi Domini, quod ad tres illos actus, Perfectionis, *Abstinere, Agere, & Pati*, reduci-
tur.

DECIMA VERITAS.

Quòd, nisi conuertamus nos, & Paruulorum instar efficiamur, nunquam simus salutem consecuturi.

Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut Paruuli, non intrabitis in regnum celorum.
Match. 18.

MEDITATIO

in Decimam Veritatem.

I. PUNCTVM.

Declaratio eiusdem.

EXpensis animo periculis, in quæ ruimus, obsequendo cupiditatibus nostris, pro-
pensio.

pensionibusque naturæ, quæ eousque miseriarum nos præcipitant, ut æternum simus infelicissimi: Quid superest, nisi ut, cum Prodigio, redeamus ad nos, agnitâque miserrima sorte, quò nos redegit nostra viuendi licentia, seridò, de vertendo gradu, quærendisque medijs Perfectionis, quibus ad finem nostrum promoueamur, cogitemus? Iste huius diei scopus est, atque eò imprimis spectat decima Veritas, dum asserit, tam necessariam esse conuersionem nostram, neque qualemcumque, sed talem, ut à Paruulorum moribus nihil omninò diffideamus, ut nisi illam consecutemur, simus excludendi Regno cælorum, qui finis est, quò debemus aspirare.

Porro ut seriæ conuersioni animum applices, perspicienda cum primis est huius conuersionis necessitas; si enim moniti tantum loco aut Consilij, quod amplecti aut respuere liberum sit, proponeretur, pauci sanè morum mutationem aggredierentur, cum paucissimi, etiam proposita necessitate, debitam illi operam adhibeant.

Age igitur, cogita, tantam esse necessitatem ut nulla vrgentior excogitari possit, cogimur enim, nisi velimus simul amittere spem omnem & ius consequendi Finem nostrum. Id testatur ipsa Veritas, ipse Christus decretoriam fert sententiam, verbis tam grauibus seuerisque, ut vix aliunde credamus necessitatem

tatem

tatem Baptismi & Pœnitentiæ, quàm quod eadem loquendi formula illam denuntiarit: (a) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei; &, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* Si putares te nondum baptismo initiatum, aut haberes conscientiam ream alicuius grauioris delicti, an non recurreres ad vtrumque illud sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ? Cur autem, nisi quod vtrumque Christus tibi necessarium esse pronuntiauit? at cum eodem penitus modo locutus sit de necessitate Conuersionis, cur pariter illi non assentiamur? Et reipsa Conuersio nihil est aliud, quàm Pœnitentia, sicut Pœnitentia aliud non est, quàm seria Conuersio, & species quædam Baptismi, nos regenerantis reuocantisque ad infantilem innocentiam.

Et vt intelligas, ad te spectare Christi sermonem, quando homines de Conuersionis necessitate commonefacit, proponit exemplum, quod te quoque complectitur, neque minus te, quàm quemcumque alium obstringit, nisi iam perfectionem plenè sis affecutus: ait enim: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut Paruuli,* vt significet nos, qua necessitate tenemur nos conuerrere, eadem quoque obligari ad tantam morum mutationem, vt tales fiamus per virtutem, quales sunt Paruuli per naturam; alioquin Conuersionem non fore seriam.

(a) *Ioan. 3. Luc. 13.*

feriam. Ex quo necessariò consequitur, aut adeptum te iam gradum illum Perfectionis, qui in exemplum adducitur, aut obligari te vt vires omnes contendas, donec illum assequaris: Generatim enim dictum omnibus, qui absunt ab hac infantia spirituali: *Nisi conuersi fuerint, & efficiantur sicut Paruuli, non intrabunt in regnum caelorum, sed æternum perituros: Ex præcedentium autem veritatum consideratione aduertere facile potuisti, adeò te non peruenisse ad hunc gradum Perfectionis, vt etiam ab eodem abis quàm longissimè; consequens igitur est, vt ad te dirigatur hic sermo, in te feratur hæc sententia: Nisi conuersus fueris, & efficiaris sicut Paruulus, non intrabis in regnum caelorum.*

Cùm ergò hoc agatur, vt redeamus in viam, quã itur in regnum istud æternum, vnde nos deuios egerat natura corrupta, vt tandem in infernum præcipitaret: non poterat offerri ratio magis expedita, neque medium commodius, quàm vt quis sese conuertat, coneturque effici, vt Paruulus: nam hæc Conuersio, & ista Infantia spiritualis nihil aliud est, quàm relicto viuendi instituto, quod ex naturæ sensuumque præceptis, agebatur, vitam iniri rationi Gratiæque conformem, ita vt, quemadmodum infans, qui nondum à bono malum discernit, est innocens, expers malitiæ, ambitionis, reliquorumque vitiorum, quibus crescens ætas

ætas nos imbuit; sic nos, diuinæ gratiæ, beneficio, & vi propositi mox capiendi de serua conuerfione, & per diligentem cordis custodiam, attentionemque omnibus actionibus nostris adhibitam, non amplius consentiamus ulli peccato, saltem deliberata, plenaque voluntate, vti factum est antehac; &, si omninò abstinere à peccatis non possumus, quæcumque accident, potius fragilitati, imprudentiæ aut inconsiderantiæ, quàm malitiæ, & deditæ operæ possunt adscribi.

Atque hoc modo Apostoli & sancti Patres hanc infantiam exponunt. (a) *Malitia parvuli estote*, inquit Paulus hoc est, ita comparati sumus à propensione in malum voluntaria, quæ propriè malitia est, ac si illa propensione affectuque careremus: nam etsi prorsus euelli in malum propensio non possit, possumus tamen eius motibus non obtemperare, quin sic ope diuinæ gratiæ, nostræque libertatis, illi resistere debemus, vt tam parùm voluntariè committamus malum, ac si in illud nullo modo propenderemus: ille enim resistendi conatus, impetum propensionis eneruat, nosque in statu Innocentiæ, & Infantia sanctioris constituit, (b) vnde facilis & securus fit ad salutem & perfectionem, via.

Verùm obserua hîc I. quando dicitur, te malo affici non debere, non intelligi dumtaxat

(a) I. Cor. 14.

(b) v. Aug. in Psal. 75.

taxat malum peccati, cui, quatenus peccatum est & malum, ne flagitiosissimi quidem afficiuntur, sed rem, quæ mali causa est, seu potius delectationem, quæ ex re amata percipitur, vt ex honore, ex opibus, ex voluptatibus; huic malo dicimus te non magis affici debere, neque magis obsequi propensione eò te trahenti, quàm si fores Infans, & nondum idoneus huic malo perpetrando.

Obserua 2. quòd etsi hæc delectatio, cui peccatum est annexum, non sit tam immoderata, vt peccatum propterea fiat mortale, nihilominus, si malitiã paruuli esse volumus, quemadmodum esse nos oportet, æquè abominari debemus hoc leue peccatum, atque aliquod grauius; hoc enim agit (a) Christus, vt abonimemur fugiamusque quodcumque peccati genus; id intendit, vt viuamus in serio nullum admittendi proposito, quantum quidem id fieri per Gratiã poterit; alioquin si hanc nobis indulgemus libertatem, vt pro arbitratu quædam euitemus, quædam non; fouebimus ita naturam in peruersis suis propensionibus, vt aucto in dies robore, nos abreptura sit in scelera grauiora, viribus resistendi paulatim apud nos marcescentibus, quas quotidiano obnixu poteramus confirmare

(a) *Ab omni specie mala abstinete vos. I. Thessal. 5. Conuerte te ad Deum, & relinque peccata tua: precare ante faciem Domini & minue offendicula. &c. Eccli. 17.*

mare, nam illi cedendo, debilitamur, ipsaque Gratia tempore nostro perfidiaque offensa nos destituit, destitutos verò nobisque relictos agi præcipites in grauiora, quis miretur? vniuersè igitur, & à quocumque peccato necesse est nos conuerti, transireque in mores Paruulorum prorsus innoxiorum, & à quouis flagitij genere abhorrentium, vniuersè hæc Infantia opponitur malitiæ, aduersatur libertati, quâ quibusdam occasionibus plus nobis licere existimamus; Generatim quoque monet ea Apostolus, (a) si secundum carnem & leges corruptæ naturæ vixerimus, nos morituros, nos tandem aliquando lapsuros in delictum mortale, nisi deliberatum tibi sit obniti quibuscumque motionibus, quæ re ad peccatum aliquod, qualecumque istud sit, sollicitant.

Neque assignari potest ulla commodior notio eorum verborum, quibus suos Christus discipulos, & in ijs nos allocutus est; *Nisi conuersi fueritis &c.* an nondum conuersi erant, an non iam reliquerant omnia, vt Iesum sequerentur? Quid igitur sibi vult, quod adhuc Christus conuersionem ab illis exigat, & talem quidem, vt nisi eam adhibeant, excludendi sint regno cælorum, planè quasi nihil hæctenus præstitissent? scilicet adhuc superbiâ atque ambitione laborabant, scilicet adhuc disputabant (b) *quis eorum maior esset* sube-

(a) Rom. 8. (b) Marci. 9.

suberant adhuc naturæ motionibus, neque dum ijs, qua par erat, ratione repugnabant: vnde cæpit occasionem optimus Magister eos admonendi adhuc necessarium illis esse, vt sese converterent, efficerenturque vt Parvuli, significans eo conuersionis & Infantia nomine, seriam deliberatamque voluntatem non obsequendi motibus naturæ, nihil aliud, quam honorem, voluptates, commodaque sectantis: Etsi enim ea illorum superbia fortassis aberat à culpa grauiore, nisi tamen eiusmodi motibus resisterent, possent incidere in grauiores & salutis discrimen adire, vti suo casu testatus est Iudas: adeoque ad salutem illorum asserendam, necesse erat vniuersim omnibus illis naturæ propensionibus renunciare, itaque frangere earum impetum, vt nullo ijs pacto consentirent, sed infantili prorsus innocentia à quouis omnino scelere manus, mentemque abstinerent.

Vt reipsa, (a) vix spiritum S. receperant, cum illicò felicissimam illam quoque sortem adierunt, in eaque ad mortem vsque constanter perseuerârunt. In eum etiam finem tibi parata est à cælo gratia, & tuo vitio fiet, si generosam illam conuersionem non aggrediaris, maximè cum iam scias illam esse tam

(a) *Facti sumus paruuli in medio vestrum. 1. Thess. 2. Deponentes igitur malitiam, & omnem dolum, & simulationes & iruidias, & omnes detractiones sicut modò geniti infantes &c. 1. Petri, 2.*

necessariam, vt absque ea spes omnis perfectionis, adeoque salutis consequendæ accideret.

Credebam ò Deus, cum de Conuersione sermo fieret, id fieri Infidelium, Hæreticorum aut perditissimorum hominum dumtaxat gratia; vt video nunc tam ad me illum, quam ad alios spectare. Quocirca te rogo, vt mihi manifestes tum impedimenta huic conuersioni aduersa, vt ea amoliar; tum stimulos, quibus ad eam amplectendam, possim per-moueri.

II. P V N C T V M.

Aduersio ad vitam præteritam, & statum præsentem.

NOta tria hinc impedimenta, quæ vi-
anteactæ ratio tribus animæ facultati-
bus impressit, quæque conuersioni tuæ mo-
ram iniicere nunc possunt, nisi iis occurras.

Primū est, in intellectu error, falsa que opi-
nio, quasi conuersione solūm pertineat ad gra-
uium scelerum reos: sed instructio, quā mo-
didicisti, illam esse tibi quoque pernecessa-
riam, hoc errore te liberat: & profectò istud
vnicum exemplum Apostolorum, quos Chri-
stus alloquebatur, satis esset idoneum, ad
conuincendum, quandoquidem ab eorum
perfectione plurimūm abis, pluribus quæ

ii, virijs labores maioribus, in grauiora labendi scelera, periculis sis expositus, quàm illi, qui familiari tum Christi consuetudine fruebantur, quando de conuersione sunt admoniti; ac proinde, non dico, par, sed maior tibi, quàm illis, incumbit necessitas te convertendi. An non ita est? indubitata ergo fides huius veritatis erit huic primo impedimento remedium.

Secundum prouenit à voluntate, & appetitibus naturalibus, qui semper in malum proueniunt, & longo vsu, dum illis obsecutus es, redditi procliuiores, molestiam tibi faceffent; illaque molestia poterit successum seriæ conuersionis præpedire. Verùm necessitas conuertendi te, amouendique quoscumque obices, te obligat ad hanc superandam molestiam, & generosa in (a) Deum fiducia, & spes, quod eius gratiâ quidvis possis, addere debet animos, vt fideliter satisfacias obligationi, quâ teneris te Deo plenè dedere, nullamque prætermittere operam, donec illud sis consecutus.

Tertium impedimentum esse poterit à Memoria repræsentante præteritarum rerum imagines, quibus immoderatiùs adhæfisti, quæque nouum iter insistentem ad pristinos sequendos affectus importunè reuocabunt. Sed perdura, optimum in similibus malis,

(a) *Fidelis est, qui vocauit vos, qui etiam faciet.*
I. Theff, 5.

lis, quæ nolentibus accidunt (a) remedium est patientia, fer æquo animo, quin iis insulta & dic, te ne latum quidem vnguem, earum occurrentium specierum gratiã, à suscepto proposito discessurum, nolentem in scelus inducere non possunt, & si firmus fueris in eo animi decreto quod tibi nunc capiendum est, semper eris nolens, adeoque nihil te impediatur.

(a) *Nihil nunc damnationis est vobis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Rom, 8.*

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

DVo loquendi modi sunt in scripturis quos in materia Conversionis diligenter advertere oportet: primus ad Deum dirigitur à nobis: (a) *Converte me Domine, & ad te conuertemur*: altero Deus nos alloquitur (b) *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*. In speciem quidem illi differre videntur, sed reuerà consentiunt; prior docet, nos propriis viribus conuerti non posse, opus esse diuino auxilio, quod implorare oporteat, quodque recusaturus non sit. Ab hac igitur agnitione fac initium, & tam corde, quàm ore dicite *Converte me, o Domine, ad te, & conuertar ad te*. *id ex me facere non possum, possum verò* per te;

(a) *Thren, 5.* (b) *Zach, 1.*

per te; Tantus fauor excedit merita mea, sed infra bonitatem tuam est & merita filij tui, & patrociniū sanctissimæ Matris eius, per quæ hunc exoro.

Alter loquendi modus declarat, duo ad veram conuersionem concurrere genera gratiarum, quarum primam non meremur, sed illam à Dei bonitate & misericordia flagitamus, quæ nos excitando stimulandoque inchoat conuersionem nostram. Secundam usu prioris gratiæ, cui cooperamur, mereri possumus, tum enim Deus reddit illam conuersionem perfectam, absolutamque, atque idrico rogat nos, vt conuertamur ad illum, vt scilicet priore præuenti gratiâ testemur collatione operæ nostræ, nos serio vitæ emendandæ desiderio teneri; tum ille conuertetur ad nos, id est, omnia necessaria auxilia (a) liberaliter suppeditabit.

Age, igitur, anime mi, quandoquidem reperimus iam primos illos fauores, vt velimus conuerti, non est standum his primis intis, sed porro cæptis insistendum, vt integram gratiam obtineamus; aliquid boni operis hodie Deus à nobis exspectat, quid præstabimus? Paululum hac de re tecum delibera, & si nihil occurrit aliud, vide quid potissimum te retineat vt non conuertaris, (a) neque te
plenè

(a) *Adeamus cum fiducia ad thronum Gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Heb. 4.*

plenè consecres (a) Divinæ Maiestati : vim tibi infer , & illud spontaneo sacrificio immola, abrumpe hoc qualecumque vinculum, subi hanc difficultatem, & ita te Deo dedica, vt nullam omninò rem excipias , quæ non vnà tecum illi integerrimè consecretur.

Propone tibi ob oculos Magdalenam, aut filium (b) Prodigum , aut Zacheum, aut aliam aliquem serio se conuertentem. Cogita quid facturuseffet Ethnicus, Iudæus, Hæreticus, aut profligatæ vitæ homo , si traducerent ad frugem meliorem , idque institutum suum publicè profiterentur. Idem crede tibi statuendum esse de pravis tuis cupiditatibus, si ab iis, vti par est, velis resiliere. Considera quid sit in religionem ingredi, eius habitum induere, in ea solemnibus se voti obligare; nimirum est, Mundo nuntium remittere, & bonis omnibus , quæ in eo quæ possidebat. Ad eum modum tibi renuntiandum est cupiditatibus tuis: tam enim, ad viuendum consentaneè rationi ac spiritui iuxta conditionem tuam , obligatus es, vt ijs nuntium remittas, quàm necesse est à Religione mundum deserere, vt status sui perfectionem assequatur. Denique existima te mortuum iamque

(a) Si in toto corde vestro revertimini ad Deum vestrum, auferte Deos alienos de medio vestri. & preparate corda vestra Domino, & seruite soli &c. 1. Reg. 7.

(b) Luc. 7. & 19.

iamque (a) in sepulchro collocatum, & qui expers fit motus omnis naturalis; & revera carere: debes equè motibus volūtariis sensualitatis ac si vitā careres: & ipsa conuersio & melioris vitæ decretum quid aliud est, quàm mors quædam sensualitatis (b) *vt viuas Deo in Christo Iesu Domino nostro, eiusque gratiæ. O mortem meritò exoptandam, quam talis vita consequitur!*

(a) *Existimate vos mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediat concupiscentijs eius. Rom. 6.*

(b) *Rom. 6.*

COMPENDIUM MEDITATIONIS in decimam Veritatem.

I. P V N C T V M.

Declaratio eiusdem.

QVandoquidem idcirco solum nobis exposita sint pericula salutis nostræ, vt eadem declinemus, hodie cum Diuina gratia adhuc firmius statuendum est, ijs per feriam conuersionem prouidere: & primus gradus, quem hinc figere oportet ad declinandum periculum, seque conuertendum, est vt discas agnoscasque huius conuersionis necessitatem. Agnosci autem melius illa non potest,
H
quàm

quàm ex verbis Seruatoris quæ tam plana sunt atque præcisa, vt vix aliunde nobis constet necessitas sacramentorum, Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quàm quod similibus loquendi formulis eandem nobis denuntiarit. Et quando in exemplum nostræ conuersionis proponit Infantem, facillè patet generatim ad omnes spectare, qui nondum adepti sunt eum perfectionis gradum, vt tam innoxij & à peccato semoti sint per virtutem quàm procul abest Infans ætatis beneficio: ad eos omnes communiter pertinet hic de necessitate conuersionis sermo, donec ad hanc Infantiam rationalem, ac spiritualem se promouerint; idque proposita pœna, nunquam aliàs intrandi in regnum celorum, adeoque damnationis æternæ. Neque est quod eximium hinc te putes: tam enim certò in te fertur hæc sententia, quàm certum est te ab eo Innocentiæ statu procul abesse, adeoque laborandum tibi est, vt te conuertas, statuasque pertingere ad gradum illum perfectionis tam necessarium, vt absque eo, nunquam sis finem tuum, numquam salutem consecuturus.

Ac re quidem ipsa, nisi eò processeris, vt animitus tam parùm afficiaris peccato, qualecumque illud sit, & quibusuis occasionibus quibus posses ad peccandum induci, quàm parùm afficitur innocens illa ætas, fouebis germen & fermentum peccati ac damnationis.

id est, cupiditatem amoris proprii, cui si libertas admittendi leuioris mali conceditur, vindicabit sibi audaciam & vires tentandi grauius aliquod; neque modus est eum cohibendi, sistendi que ruentis impetum, nisi plenè se conuertendo, eamque ineundo vitæ rationem, vt nullum illi peccatum, quale quale illud sit, saltè deliberatè, permittatur. Intuere in Apostolos, quos Christus suæ conuersionis hinc admonebat, an nondum erant conuersi, qui eo nomine reliquerant vniuersa? quid igitur ijs erat reliquum, præter quandam superbiam & ambitionem honoris, quâ disquirebant inter se, *quis eorum videretur esse maior?* Hac occasione vltus magister optimus monuit etiam ab hac ambitione conuersionem tam esse necessariã, vt nisi, Infantium more, ab illa abhorrerent, essent regno cælorum excludendi, vt enim hæc ambitio fortassis esset culpæ leuioris, poterat tamen paulatim capere incrementum & euadere in mortalem: adeoque ad asserendam salutem; necesse erat illâ se penitus expedirent. Quisnam post hæc, existimabit se non debere conueri? Apostolos sanè vitæ morumque sanctimonia anteat necesse est; eos dico, qui iam reliquerunt omnia, & duorum amplius annorum spatio, Christo constanter adhæserant. Si tu tantum tibi sumere non audes, quemadmodum verè non potes, fatere tibi pernecessariam esse conuersionem.

II. P V N C T V M.

*Aduersio in vitam præteritam,
præsentemque.*

Q Via vox illa, Conuersio, ad solos infideles, Hæreticos, & publicis sceleribus infames spectare videtur, ægrè persuadebitur intellectus vt credat eam tibi conuenire, ac tibi æquè resiliendum esse à mundanis tuis & sensualibus affectibus, atque à sua Infidelitate Infideli, ab hæresi Hæretico ac flagitiosissimo peccatori à suis flagitijs recedendū est. Quare excute rursus animum, an in eo errore verletur, an verò potiùs firmiter iam credat tibi omninò necessariam esse Conuersionem. Quod si voluntas adhuc ab illa abhorret, repugnatque, quia videt sibi abstinendum esse ab vsu suarum cupiditatum; mitiga hanc auersionem, quibus potes blandissimis argumentis, at si nolit rationi & huic suauitati acquiescere, urge, vim infer, proculcatis difficultatibus insiste proposito, & obijce illi vera alterius vitæ bona, quæ amissurus es, nisi ipsa seriò statuat falsis fucatisque huius vitæ bonis abstinere.

Memoria antiquis amatarum rerum speciebus adhuc implicabitur, quibus, quia se pro voto te expedire non poterit, subibit animum anxietas & scrupulorum metus: sed
inanis

inanis est ista anxietas, & panici timores, quibus expugnandis sufficere seruum propositum nihil committendi ob antiquas species animo recurrentes, & ad malum sollicitantes. Nam si idcirco cogitationes solum prauæ fuerunt, quod eas volens admisisti, te nolente, ut ut occurrant, prauæ esse non possunt.

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

ERIT 1. ut agnoscas te sine peculiari gratiæ præsidio, non posse hoc conuersionis opus absoluerè, adeoque tibi cum Propheta orandum: *Conuerte nos Domine & conuertemur.*

2. Ut audias eundem Dominum promittentem: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, id est, si responderis primæ Gratia, quæ ad conuersionem te excitat, eamque efficaciter & ex animo desideres, adijciet alteram, quæ negotium tuæ conuersionis absoluat, collocabitque te in eo statu Infantia spiritualis & rationalis Innocentiæ, in quo esse te oportet, ut conuersus dici queas.

Age sis ergo, vis istud? cæpit te Deus iam excitare, & anteuertere priore sua gratia, nihil superest aliud, nisi ut operam tuam conferas, eoque pacto testeris te reuera velle; &

in notam, certumque huius optimæ voluntatis testimonium, iam nunc renunties cupiditati tibi maximè congenitæ, & in rem aliquam terrenam propensiori, ineundo hanc vitæ rationem, quæ tibi necessaria est, ut in illius regnum aliquando admittaris, & operando in ea constanter viuere & mori, ita ut nulla res te à suscepto semel proposito dimoueat?

Projice te ad pedes illius, vel Magdalenzæ, vel Filij Prodigij, vel Zachæi exemplo eiura quidquid mundanum est, quo modo infidelis ad fidem cōuersus eiurat errores suos; & sicut Religiosus censetur Mūdum deseruisse quando vota in religione nuncupat, ita tibi relinquendus est omnis in quamcumque rem terrenam affectus, ut seriam conuersionem profiteri censearis. Deniq; sic te reges in posterum quasi tam fores expers voluntariorum motuum à vita sensuali prouenientium, quàm, qui vitâ functus est, caret motibus vitæ naturalis. Nunquam meliùs viues, quàm si per veram conuersionem feliciter ita moriaris.

UNDE

VNDECIMA VERITAS.

Ad inchoandam nouam vitam, tanti referre, se se adiungere Christo Domino, vt, qui cum illo non est sit contra illum.

Qui non est mecum, contra me est, inquit Christus Luc. 11.

M E D I T A T I O

in vndecimam veritatem.

I. P V N C T V M.

Declaratio eiusdem veritatis.

CONSTITUTO nouæ vitæ decreto, illius forma & imago ab eo defumenda est, quem Pater æternus nobis proposuit in Archetypon & exemplum, cuius imitatione finem nostrum vltimum consequeremur, (a) Is est secundus Adam & nouissimus ab Apostolo nuncupatus, quòd, sicut sequendo errores & motus primi hominis à recto itinere plurimum deuiuimus, ita nos eodem reuerti oporteat imitando exempla & mores secundi, qui eo nomine ipse se vocat viam, veritatem, & vitam, vt sciremus nos eius ductu veram vitam consecuturos. Quantus fauor, quòd

H 4

is,

(a) I. Cor. 15.

is, qui erat finis noster, idem quoque se præ-
 stiterit medium, & ducem eò pertingendi.
 Opus erat vitæ regula, inquit (a) Augustinus,
 ad quam nostros mores exigeremus, at re-
 gula non fuisset utilis, nisi recta, eademque
 oculis nostris proposita; quare neque solus
 homo, neque solus Deustalis Regulæ vicem
 obire poterat, in solo enim homine non fuisset
 recta, & in solo Deo videri non potuisset; ne-
 cesse igitur fuit, vt Deus fieret homo, quem vt
 rectissimum, & visui expositum, homo seque-
 retur. Aptè ergo, & iuxta exercitiorum ordi-
 nem succedit aliis hæc vndecima Veritas, cir-
 ca quam hæc præcipuè consideranda, quic-
 sit se adiungere Christo Domino; & tantum
 prætereà referre, vt illi te adiungas, vt nihil
 contra illum esse velis, necesse sit te esse cum
 illo.

Primò coniungimus nos Christo Domi-
 no, beneficio gratiæ sanctificantis, quæ exclu-
 dit omne ab animo peccatum mortiferum,
 omnemque eius aliquando committendi vo-
 luntatē; Atque hinc ordianda esset noua vita,
 si grauiorum essemus noxarum rei, & quam-
 uis cōscientia tam enormibus non prematur,
 per exercitia tamen solet etiam à leuioribus
 exonerari, vt tantò paratior sit ad vnio-

(a) Sequendus Deus erat, qui videri non poterat,
 sequendus homo non erat, qui videri poterat: Deus
 factus est homo, quem sequeretur homo. Aug. serm.
 de Nat. Ch.

nem & consensionem cum illo ineundam, qui pascitur inter lilia, (a) id est, purarum mentium consuetudine delectatur. Quid hac in re tibi deliberatum est?

Secundò, iungimur illi per gratias actuales quas nobis confert eo nomine, ut obnitamur motibus naturæ, ubique se suaque sectantis, subjicientisque ijs perturbationibus, quas mox deplorauimus, nisi iungamur ac consentiamus illi gratiæ ac spiritui, quem Iesus paratus est nobiscum liberaliter communicare, tanquam caput nostrum, æquè potens ad aspirandam nobis vitam spiritualem, supernaturalem & Diuinam, quam aptum est (b) caput hominis ad conferendos spiritus animales vitæ naturali sustentandæ necessarios. O rem consideratione dignissimam, totisque viribus procurandam, quandoquidem in ea propriè consistat nouæ vitæ ratio, quam inire debemus.

Tertiò, animi affectibus atque intentionibus illi coniungimur, nullum in mente affectum admittendo, nullum amorem, nullum desiderium, nullum odium, nullam tristitiam, neque aliam aliquam motionem, quæ non sit ordinata, penitusque conformis ijs, quas ipse in terris degens habuit, aut quarum ipse in nobis est author, seu ad pellendas eas, quas natura commouet, seu in exercitium illustrium virtutum, quibus reddamur similes Diuinæ

H 5

illius

(a) Cant. 6. (b) vid. Eph. 4.

illius vitæ, quæ tota in exercitio horum affectuum, ex quibus virtutes existunt, transigebatur. Quod etiam consideratius circa fines & intentiones, quibus ad agendum, loquendumve permouemur, attendendum est. Nihil nisi vanitatem, nisi voluptates, nisi commoda spectabimus, si sequimur naturæ stimulos, hæc enim cum sui semper studiosa sit, nullibi melius, quam in honore, in voluptatibus & in commodis, conquiescit. At Christo coniunctis desipiunt hæc viles finitæque (a) intentiones, neque capeffuntur alia, quam rectæ, rationi consentaneæ, quæque naturæ vim excedunt, imò tales, quales erant illius, dum inter mortales versaretur, aut qualibus etiam modò vitur, dum nobis subsidio est ad gloriam Patris propagandam, ad exequenda sua diuinissima consilia, ad finem illum obrinendum, propter quem viuimus & desudamus in hac vita. Sic ad litteram exprimimus id, quod tantoperè commendauit Apostolus; (b) *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESU, si nimirum eisdem animi sensus, eisdem fines nobis propositos habeamus.*

Est

(a) *Sicut est veritas in IESU, deponere vos, secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum DEVM creatus est in iustitia, & sanctitate Veritatis. Eph. 4.*

(b) *Phil. 2.*

Est & quartus modus cōiungendi nos Christo Domino, quatenus paratum gerimus animum ad omnia, quæ placuerit diuinæ illius prouidentix de nobis disponere, tum generatim de vita nostra, tum peculiariter de quouis momento, & de quacunque actione, de manu illius, quidquid seu graue, seu gratum acciderit, admittentes: enimuerò attendendum non est, an euenta voluptate condita sint, an respersa molestijs; sed id dumtaxat, quæ possit ea occasione, quam Deus ad gloriam suam, & meritum nostrum amplificandum, submisit, virtus exerceri.

Denique, vt quamcumque actionem nostram perfectam, numerisque omnibus reddamus absolutam, quinto prætereà modo nos illi coniungemus, si dum operamur, idem conijciamus in ipsum mentis oculos, (quo modo Pictor exemplar sibi exprimendum intuetur) vt eum imitari possimus, & actionem nostram ad illius exemplum efformare; vt oremus, quemadmodum ille orabat in terris; incedamus, vt ille incedebat; ea simus morum compositione in mensa, in congressibus, alijsque qua erat ille. & sic de reliquis; nam teste D. Ioanne, (a) qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare, debet sicut ille, & loqui & tacere, & viuere, denique agere vniuersa.

Atque tanti hoc refert, vt, præterquam quòd.

H 6

(a) 1. Ioan. 2.

quòd nihil bene recteque fiat, nisi ita conspiceretur, viuatursque cum illo, regressuri simus in antiquam vitiorum siluam, adeoque non tantum non cum illo, verum etiam contra illum futuri simus. Eius veritatis ipse est præco, & manifesta ratione euincitur, nam omnino amore affectuque vacui esse non possumus; Quando id actum est, ne te amares, oblatus est Iesus, cuius vsu familiari fruere, in quem amorem tuum transferres, quem sequereris potius, quam te, & quam creaturas in perniciem tuam coniuraras: quòd si ab illo discesseris, redibis in te, resumesque immoderatam tuam viuendi consuetudinem, & ipsa hæc consuetudo tam illi aduersatur, quam vitium virtuti, (a) quam veritatem mendacium, quam luci tenebræ, quam mortem vitæ. Id igitur statuendum est, vt aut esse vis cum illo, aut contra illum. Vrgendus hic animus. Neutris hic esse non licet, aut ab illo standum, aut aduersus illum. Vide quid statuas.

(a) *Ex 2, Cor. 6.*

II. P V N C T V M.

Adversio ad vitam præteritam & statum præsentem.

Vide ne aliquid in animo resideat fermenti veteris, & inanum illarum opinionum qui-

quibus olim credidisti fieri omnino non posse, aut rem nimis esse arduam tibi que difficilem, ut Christum imiteris, eiusque exemplis insistas: Error est, quo exsoluendus es. Nihil unquam tibi præceptum est, quod situm non sit in tua potestate, accedente potissimum Divinæ gratiæ præsidio; cum ergo imitatio Christi sit tibi præcepta, dubitare non debes, quin fieri à te possit, præsertim cum, teste Augustino, (a) ad hoc præcepta sit, ut eius exemplo, ad res magis arduas confortarere. Non hoc tibi imperatur ut facias, quæ fecit Iesus, neque ut tam eximia sis animi demissione, aut patientia, atque ille, sed ut oblati occasionibus, quantum volet gratia & vires tuæ patientur, proximè insistas eius vestigijs. Ita perfectissimis sanctissimisque propositis est in exemplū, ut etiam imperfectiores habeant, quod imitentur; Totidem enim sunt gradus imitationis, quam variæ sunt conditiones, & quot personæ, quæ illum imitando perficere se possunt. Eam ob rem dicitur (b) *flos campi & lilium convallium* omnibus patientium, non verò hortorum, qui ad pau-

COS

(a) Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile esse iudicaret, ut hoc ab homine fieret: si considerans infirmitatem tuam deficiis sub præcepto, confortare in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum est. adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium. August. in Ps. 56.

(b) Cant. 2.

cos pertinent & ad quos solis dominis patet accessus. Idcirco etiam D. Ioannes eum vidit, in admirabili illa forma, quam describit in initio Apocalypseos, quæque diuersos Ecclesiæ gradus, variasque personas repræsentat, quas sibi vnire, velut membra sui corporis paratus est, modò illæ velint, neque effrænata viuendi licentiâ sese sejungant.

(a) *Caput eius & facies sicut Sol lucens in virtute sua, designat supremos Dominos, seu Ecclesiastica, seu sæculari potestate fulgentes; Capilli candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, sunt Consiliarij & rerum publicarum administri; In dextra eius stella septem, & ex ore eius gladius acutus exiens, & vox tanquam vox aquarum multarum, sunt Episcopi & Prælati, Doctores, Concionatores alijque qui se lucris animarum totos impendunt; Oculi, tanquam flamma ignis, notant Gubernatores & iustitiæ administrandæ præfectos: Zona illa aurea, quâ ad mammillas præcingebatur, exhibet Sacerdotes, Religiosos, Virgines, & alios qui castimonie leges sibi proposuerunt; Pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti, denotant opifices, & qui artibus illiberalibus manuariisque opere vitam sustentant: quique nihilominus non desinunt illi coniungi, modò in sua conditione viuant agantque ex illius præceptis, & propter fines quos ille intendit.*

Vides igitur neminem ab hac coniunctio-

(a) Apoc. I.

ne excludi, nisi quis metu & apprehensione difficultatum se ipse eximat, vti fecit nequam ille, & deses seruus (a) qui defodit sibi creditum talentum, quod in vtilitatem Domini sui impendere debuisset, & diligentiam eius vsu illustrius aliquod munus promereri. Absit, nihil metue, tantum abest, vt deuotio & imitatio Christi Iesu tibi futura sit grauis & molesta, vt etiam temperatura sit & lenitura reliquas omnes molestias, imò supplex deprecare, quod aliter quàm oportebat de illius bonitate senseris.

(a) Luc. 19. *Timui te, quod homo austerus es.*

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

VT rectè concipias propositum te, modis omnibus ante consideratis, coniungendi tam arcè Christo Domino, vt ab eius societate nullus te vnquam casus auellat: scias imprimis ad hoc grauissimè te obligari, nisi spem omnem frugis deinceps melioris penitus seponere lubeat; (a) nihilominus ita, tamque liberali animo illi te trade, vt tamen nulla te vrgeret obligatio, velles tamen ex reuerentia personæ ipsius & quia meretur, id præstare. Nam eas promerendo gratias, quas tibi obtinuit, & actionibus suis designando viuendi

(a) Vide Bernardum in illa verba: Cant. 2. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus &c.*

uendi exemplum, in quod intueris, vitam tuam informares, simul quoque promeruit ab animo tuo, nisi prorsus ingratus est, ut lubens acceptes illius gratias, ut in eius imitationem toto affectu rapiaris, neque Iesus tibi sit minori incitamento, ut illi seruias, quam est exemplo, ut discas, quâ illi sit ratione seruiendum. Et quid æquius est, quàm ut istos labores, quos te Homo Deus exantlauit, perire non sinas? & si ille tanto fuerit in te affectu ut pro te laboraret, ut tanto illum & te amore prosequere, ut illius laboribus & exemplis (a) fruaris, maximè cum tam amabilia, blandaque sint ut non solum facienda doceant, sed etiam ad executionem illorum, quæ discimus, pelliciant.

O mi Iesus, fieri ergo potest, ut imiter te, imò fieri potest, ut hoc ego possim, & tamen nolim? aut si modò velim, id dum fert occasio, re ipsa non exequar? Anime mi, generosè subi vinculum illud sequendi Jesum, etque adhærendi, ut perpetuò, & vbique eius insistas vestigijs; via enim est, & donec eris cum illo, vbicumque locorum fueris, nunquam aberis à recto tramite. Propositum igitur tuum sit, te nolle vllò casu, vllàve itineris mo-

(a) Sumo mihi exempla de homine, & auxilium à potente, illa tamquam pigmentarias species, hoc tamquam ut aciem eas... Hoc tibi electuarium habet, anima mea reconditum in vasculo vocabuli huius, quod est Iesus, &c. Bern. Serm., 15. in Cant.

lestiâ ab illo diuelli, nam præstat constanter tenere viam, etiam cum aliqua molestia, quàm illius metu tædioque deuiare.

COMPENDIUM MEDITATIONIS in vndecimam veritatem.

I. P V N C T V M.

Declaratio eiusdem.

Cum iam deliberatum sit, nos conuertere, & recto calle tendere ad finem à quo deflexeramur, cumque Iesus sit Via, Veritas & Vita, hoc est vera via ducens ad veram vitam, scilicet finem nostrum: debemus tam arcta societate nos illi iungere quàm securi esse volumus de via, quæ eò ducit, quò tendimus & aspiramus. Considera igitur, quid sit illi coniungi, & quanti illud sit, quamque necessarium. Non solum illi vnimur per gratiam sanctificantem, quæ nullum patitur peccatum mortiferum, neque solum per gratias actuales leuiora vitia excludentes, verum etiam per vnionem affectuum, & intentionum, ad illius affectus intentionesque efformatorum; per cõsensionem voluntatis nostræ cum omnibus, quæ circa nos nostraque statuerit; denique per imitationem actionum illius, dando operam vt nostras ex illius exemplo componamus, vt ambulemus, sicut ille ambulauit,

uit, ut in ipso ~~et~~ cum ipso maneamus. Hoc enim verò est illi se coniungere, si ex illius vita & moribus, nostram vitam, moresque exigimus.

Idque adeò necessarium est, ut si nò sumus cum illo, contra illum simus; si non componimus affectus nostros, nostra verba, & opera ad exemplum vitæ illius, & ex præscripto gratiarum nobis collatarum, dissoluimus nos ex naturæ sensuumque effrenatis cupiditatibus, eaque viuendi dissolutio tam Christo contraria est quam vitium virtuti, nox diei, & mors vitæ. Hinc totius mali nostri origo est, quòd hætenus ex mundi amorisque proprio præscripto vixerimus; & ad hoc nobis datus est Iesus, ut inde nos abstraheret, nos erigeret, nostræque consuleret saluti; adeoque alteruter nobis in Ducem viuendi que normam eligendus est, aut amor nostri, aut amor Iesu. Cum utroque vnà viuere non possumus, neque sine alteratro, vide igitur, quem deligas, & an non sit satis argumenti ut deligas Iesum, quòd non possis non esse cum illo, quin illicò sis contra illum.

II. P V N C T V M.

Aduersio in vitam præteritam, præsentemque.

Nisi attenderis, ex priore vita inhærebit tibi menti falsa quædam persuasio, errorque mun-

mundanus, quasi nimium tibi sit Christum imitari, eiusque consilij & dispositionibus vniri, quemadmodum vnitum te esse oportet, vt sis cum illo. Error est, aut ab ignorantia proueniens, quòd nescias tam varios esse gradus huius Diuinæ imitationis, quàm variæ sunt hominum conditiones: aut qui procedit à malitia, quod nolis adlaborare huic imitationi, tibi que vim illam facere, vt non viuas, nisi ex præscripto, ductuque illius.

Agnosce hunc errorem, & si audieris Iesum esse florem campi, non hortorum; esse liliū conuallium, non montium, crede ijs idcirco nominibus appellari, quòd omnibus det liberum ad se accessum, quodque vitio fiat tuo, si non accedis; & quamuis ad illum accedendo, enitendum sit in montem perfectionis, tam facilem tamen esse adscensum, atque si in conuallem descenderetur. O mi Jesu, perperam credidi, in te considerando, imitandoque esse difficultatem; agnosco culpam meam, & profiteor, à tui consideratione, imitationeque potiùs omnem difficultatem amoueri.

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

Incumbit tibi necessitas, vt quàm arctissimè, & modis omnibus, quibus ea fieri potest vnio,

vnio, te cum Iesu coniungas: hanc necessitate
 rem meditatus es, vt te cogeres ad debitum
 officium tuum, nolim tamen eò te solius ne-
 cessitatis intuitu compelli; alij sunt stimuli
 qui te pelliciant, ac æquè excitent ad eius se-
 quenda vestigia, ac si nulla necessitate tenereris.
 Sola ipsius merita eam apud animam
 tuam vim habeant, oportet. Talia tibi reliquit
 vitæ suæ exempla, & in suis laboribus ta-
 le robur, talesque gratias, ad eum imitan-
 dum, opportunas promeritus est, vt vel hoc
 solo titulo (nisi insigniter ingratus es) digni-
 simus quoque sit, cuius gratijs obsequari
 quemque imitère. Illius vita locum obtinet
 exempli, & incitamenti: Exempli, vt discas
 quid & quo modo agendum sit: Incitamenti,
 vt agere velis quæ agenda esse didicisti. O
 eximium Magistrum, o ducem ad eundem æ-
 ternæ felicitati securissimum! Facit ille, vt
 sciamus, quo modo illam adire oporteat; facit
 cit, vt quæ scimus, etiam velimus; facit idem
 denique, vt quæ volumus, possimus.

D V O D

D
Tot
d
se

Si q

Q

reip
tus
que
& a
tam
dun
niur
nost
tasse

(a)

DVODECIMA VERITAS.

Totam scientiam Euangelicæ, moralisquæ doctrinæ Iesu Christi in eo consistere, vt scias eius exemplo, *Abstinere, Agere, & Pati.*

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Luc. 9.

M E D I T A T I O

in hanc duodecimam veritatem.

I. P V N C T V M.

Declaratio eiusdem veritatis.

Quamquam Iesus, teste Propheta & Apostolo, verbum sit abbreviatum, (a) & re ipsa solus ille complectatur quidquid veteris testamentum prædixerat, præsignaratque: nihilominus sacrum ipsius Euangelium, & actiones ad imitandum nobis propositæ, tam latè patent, atque ad tam varia extenduntur, vt difficile nobis esset meminisse omnium, quæ docuit, fecitque ad instructionem nostram, nisi illa ipse contraxisset; & hæc fortasse ratio est, cur non minùs verbum abbrevians,

(a) *Is. 16, & Rom. 9.*

uians, quàm abbreviatum nuncupetur, quòd totam Euangelij, suæque moralis doctrinæ scientiam contraxerit in hæc verba: *Abstinere sustinere, & agere. Qui vult, inquit, venire post me, abneget semetipsum, en abstinere; collat crucem suam, en sustinere; & sequatur me, en agere illius exemplo.* Quisquis igitur sciuerit, habueritque in usu hæc tria verba, quæ in diuinissima Christi sententiâ continentur, nã ille totum Euangelium, totamque doctrinam quæ ad mores, & nouum vitæ, quod aggredimur, institutum pertinet, complexus sit!

Hinc proponitur nobis duodecima Veritas, tam aptè subiecta præcedenti, vt illius sit expositio, & sit summa omnium, quæ Magistri & Ducis nostri exemplo facere iam statuimus. Nos alloquitur, dum ait: *Qui vult venire post me; nos enim volumus, nos istud professi sumus, & rarum firmumque habemus.* Solum superest, vt hanc veritatem benè animo comprehendamus, & ex integro nos accingamus ad eius usum exercitiumque.

Hanc ob rem, cogita, quibuscumque circa vitæ emendationem conceptis propositis, semper relinqui in anima quoddam germen peccati, & malorum radicem, quam vocant Concupiscentiam, & à natura inditam procliuitatem, quâ ferimur in honores, in voluptates, in opes, & vnde alij omnes affectus & animi perturbationes enascuntur. Verùm hi

omnes

omnes affectus & perturbationes non habent propriè loquendo, nisi duos motus, naturales, ex quibus omnia scelera existunt, alterum amoris & prosecutionis erga bonum sensibile, alterum odij & fugæ à sensibili malo. sicut cor hominis viuit motu duplici systole, & diastole, quorum vno recentem aërem attrahit, altero nimium calorem expirat, ita corrupta natura, vel amor proprius, qui cor est vitæ sensualis, solum aspirat ad bona sua naturalia, suas voluptates, suasque oblectationes, vnde desideria, amor & gaudia: si verò alio aliquo motionis genere agiretur, fit, vt se contrario malo expediat, vnde mœrores, tædia, iræ, odia, pœnæ & ægritudines. Inde peccata omnia promanant: quid enim aliud, exempli causâ, superbia, quàm immoderatus amor excellentiæ, quàm ex honore & opinionone aliorum capta oblectatio, quæ ex naturæ genio nobis arridet? (a) aut quid est aliud, quàm auersio & odium illius contemptus qui naturæ contrarius est atque intolerabilis videtur? Inuidia est gaudium de malo alterius, quasi nobis benè foret, quod alteri malè: & odium boni alieni, quasi malè nobis esset, quod alteri bene. Ira nil est aliud, quàm amor vindictæ ob voluptatem nobis inde prouenientem; aut impatientia mali aduersus nos commissi. Luxuria est amor inordinatus turpium voluptatum: &

(a) v. Aug. in Psal. 79.

& odium continentiae, veluti mali sensibilis huic turpi voluptati oppositi. Gulæ intemperantia consistit in prosecutione ciborum aut nimiorum, aut nimis delicatorum: aut est fuga abstinentiæ nos ea oblectatione priuantis. Avaritia est nimius amor diuitiarum, & odium paupertatis velut mali oppositi. Denique Acedia nihil aliud est quam prosecutio quietis & desidiæ, aut fuga laboris, captandam ex otio voluptatem, amoturi.

Quæ cum ita sint, vti patet ex enumeratione capitalium vitiorum, videntur etiam virtutes omnes, quæ illis sunt oppositæ, & quarum exempla nobis Christus reliquit hisce duobus actibus, abstinendo nimirum & sustinendo, potissimum constare. Humilitas, quæ aduersatur superbiæ, in eo sita est, vt quis à prosecutione affectuque honoris abstineat, aut sustineat contumeliam, iniurias, contemptus. Charitas opposita Inuidiæ, abstinet ab oblectatione ex alieno malo proveniente, & sustinet illam animi ægritudinem, quæ ex alterius felicitate posset oboriri. Mansuetudo non aliter iram frænata, quam abstinendo ab ultionis voluptate, & sustinendo iniuriæ nobis illatæ molestiam. Castitas hostem suum compescit, dum libidine abstinet, & generosè sustinet ortas à continentia difficultates. Quis vsus Temperantiæ, nisi vt abstineamus ab immoderato nimisque exquisito victu, potuque, & ieiunio

susti

sustineamus & parum viuamus? Quid efficit liberalitas aut paupertas Religiosa? nempe vt abstineamus Dominio & possessione rerum voto jam abdicatarum, aut à nimio bonorum, in nostra potestate sitorum, affectu; & vt incommoda & necessitates, quas secum fert inopia, æquo animo sustineamus. Diligentia aut deuotio qua ratione desidia propulsat, nisi abstinendo à nimio otio, ignauia: voluntarijs animi euagationibus, aut molestiam, quæ à labore & precibus percipitur sustinendo?

Id enim uerò est abnegare semetipsum, sic suis cupiditatibus abstinere, & est ferre Crucem suam, (a) cum quis sustinet aut Christi aut aliorum similibus incitamentorum gratia, quidquid difficile, molestumque est. Atque ita intelligendas est usus duorum horum vocabulorum, *abstinere* & *sustinere*, quæ virtutes omnes constituunt quatenus suis vitijs opponuntur, eorumque impetum infringunt.

Sed quia virtuti parum est malum impedire, nisi etiam bonorum operum exercitio sese impendant, idcirco tercia vocula additur, *Agere*, quod tum fit, quando istud agitur, quod fieri vult Deus à nobis; quando ex ip-

I

hinc

(a) Non sufficit passio malorum, nam & latrones multa patiuntur; patienda sunt mala propter Christum eiusque virtutes adicienda. Chrylost.

(b) Quæ didicistis & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite. Phil. 4.

sius gratia, & spiritu agitur, non ex meris
 naturæ impulsibus; quando insistitur Christi
 vestigijs, & iuxta eosdem fines & intentiones,
 quibus ipse ad agendum mouebatur, actio-
 nes instituuntur. Et sic eadem opera, qua per
 Humilitatem, Caritatem, Mansuetudinem,
 Temperantiam, Deuotionem, aliasque vir-
 tutes, abstinere à voluptate, quæ peccatum
 constituit, & sustinere incommoda quæ ad
 illud euitandum, aut bonum exercendum,
 sustinenda sunt; Ages pro re nata, orabis, ver-
 saberis inter homines, colloqueris, tractabis
 negotia, incumbes studijs & muneri cuiuscum-
 que tuo, prout illæ ipsæ virtutes te instruunt
 & iuxta præbitum tibi à IESU exemplum, &
 oblatam, eas opere ipso, exequendi occasio-
 nem. Adeoque vides planam hanc esse veri-
 tatem, quòd scire vsum horum verborum,
 scilicet *abstinendi, sustinendi, agendi*, & abnegare
 semetipsum, portare crucem suam, & sequi
 IESUM, agendo quod ille vult, & quomodo
 vult, & quia vult, sit perspectum habere to-
 tum Euangelium, vniuersamque morum
 Christianorum doctrinam.

O mi IESU, qui non minùs potens es vt
 facias nos velle ea facere quæ scimus, quàm
 vt doceas, quæ nobis sunt facienda, vrgeme
 in oblati, sensum horum trium verbo-
 rum exequendi, occasionibus tam validè
 quàm clarè eum, eiusque vsum mente
 complexus sum, & quàm me profiteor
 obstri-

obstrictum, vt in occasionibus me impend-
dam.

II. P V N C T V M.

*Aduersio ad vitam præteritam, &
statum præsentem.*

Posses hinc dolere & detestari licentiam,
quam tibi antehac indulxisti prosequen-
do tuas voluptates, & effugiendo pro viribus
omnes patiendi occasiones, vnde pluribus vi-
tijs, quam virtutibus imbutus es. Posses meri-
tò formidare, ne prauos aliquos habitus con-
traxeris, qui propensione naturæ coniuncti,
te in eiusmodi amoris & odij affectus abri-
pian, pro ratione occurrentis boni vel mali
sensibilis, vnde opus erit maiore gratia, cu-
raque attentiore, vt rectè abstinereas, susti-
neasque; posses præterea, & iure quidem, me-
tuere, & in hoc metu demittere animum, ne
propter tantam tuam ignauiam ac perfidiam
merearis potiùs à Deo derelinqui quam ne-
cessariis fulciri præsijs, & hæc plerumque
pœna negligentes sequitur, vt cum nolue-
rint, quando potuere, non possint, cum vo-
lent. Haberesque ex his magnam variorum
affectuum segetem, vt Contritionis, Humili-
tatis, Deprecationis, Spei, aliorumque simi-
lium.

Sed, cui potissimùm attendere debes, est,

vt errore quodam animum liberares, qui impedimento esse queat executioni huius veritatis : scilicet exiguam plerumque operam adhiberi, vt abstinetur à delitijs, quòd istud existimetur neque admodum difficile neque tanti esse, quanti sustinere oblatas difficultates, in difficultaribus verò sustinendis idcirco simus ignauiores, quòd eas non lubet experiri : atque ita semper hæremus in vitijs nostris, & sola intelligentia, non vsu hanc veritatem ediscimus. Qui obex eiusmodi est vt nisi remoueas, breuè in eisdem affectibus deducendus sis, quibus ante hæc exercitia implicabare.

Tametsi facilius sit abstinere honoribus, & voluptate, quam sustinere contumelias & incommoda, scire tamen semper oportet, à postoli exemplo, (a) rectè vti oblati honorum, voluptatum & opum occasionibus, nam subinde ex ijs pro ratione, pro officio, pro necessitate, aliquid admittendum est ; alia ijsdem penitus abstinendum, neque minor est virtus, eo pacto, quo Deus permittit, aut iuxta exemplum à Christo nobis relictum capessere honorem, voluptatemve quam penitus abstinere, aut æquo animo incom-

(a) Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio humiliari, scio & abundare (vbique & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati ; omnia possum in eo, qui me confortat. Phil. 4.

moda opposita tolerare. Hoc effatum meum
expende seriò, videbisque veriùs esse, ac mo-
menti maioris, quam prima fronte videatur.

Adhæc intolerabilis error quoque est,
nolle idcirco studere ferendis incommodis, ne
cogaris sustinere, aut de discenda aliquando
tolerantia spem omnem abijcere. Id enim
esset falsi arguere magistrum nostrum, qui
vult à se disci virtutes, (a) virtutibus autem
semper est aliqua adiuncta difficultas, quæ si-
ne studio & tolerantia superari non potest.
Anime mi, quid trepidas, dum studendum est
ferendis aduersis! Discis pati, ut minùs pa-
tiâre, neque enim quidquam nobis in hac vi-
ta grauius accidit, quam quòd nesciatis
grauia nobis imminere, & modum, quo su-
stinenda sunt, ignoremus.

(a) *Matth. 21.*

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

C Vm iam deliberatum sit perfectè se
Christo Domino consecrare, atque tam
arcta societate illi coniungi, ut nullus nos
casus ab eo diuellat; nihil aliud reliquum
esse videtur, nisi ut quamprimum appli-
cemus manum operi, & usum trium illo-
rum vocabulorum, *Absinendi*, *Agendi*
atque *Patiendi*, quæ totam artem conti-
nent.

nent illius vnionis, aggrediamur. Incipe igitur iam nūc, neque differ in finem exercitiorum, quod heu! nimium hactenus dilatum est; & verò praxim hanc sanctiorem (a) aggredere potius, quia Iesus eò re suis verbis, inuitat, præitque exemplo suo, quā quod id scripserit Epicteus aliquis, aut quòd ratio doceat, aut commonstret experientia; Cùm enim deinceps effici debeat tota vita spiritualis, & hoc vitæ genus pēdeat ab usu trium illorum verborum, vsus quoque spiritualis sic & supernaturalis oportet: non erit autē, nisi procedat à stimulo supernaturali, qualis est Christi Jesu, qui præ cæteris omnibus ea gaudet prærogatiua, vt vnà sit Diuinus & humanus, supra & secundum naturam, sublimissimus, idemque perfacilis, nam quid diuinius, quid magis supra naturam, quid denique sublimius est Christo Deo? & quid humanius, quid naturalius, quid facilius excogitari potest, Christo nomine? Cogitata rerum merè spiritualium nimis difficilia sunt imaginandi facultati, vt diutius illis hæreat; rerum verò merè corporearum, humanarum & naturalium abiectora sunt quàm vt instituto nostro finem supernaturalem spectanti deseruiant. vnde fit, ea, quæ de Iesu concipiuntur, (b)

(a) *Finis propositi nostri Christus est. August. in pl. 4. vt ita simus nostro probati Imperatori. Ambros. 1. Offic.*

(b) *v. Bernard. ser. 15. in Cant. item serm. 20.*

esse ad occupandam mentem aptissima, cum & diuini aliquid habeant & humani, itaque sublimia sint, vt tamen non excedant vires ingenij tam facile hominis imaginem animo informantis, quam haud difficulter illum oculus intuetur.

Præterea, non constat, Deo placere, vt quasuis alias cogitationes, vtcumque bonæ sint, in animum admittamus, cum forsitan esse possint à conditione nostra alienæ, at cogitationes de Iesu nulli non conditioni, nulli non tempori conueniunt. Certumque est, dum cogitamus Iesum, nos idem cogitare, quod cogitat Deus, nam Patri vna cogitatio est, verbum scilicet suum, quod continuo generat in se, quodque optat continuo in animis nostris, in intellectu, in voluntate, in memoria nostra generari.

Si igitur illud decretum nostrum, quod hodie aut statuimus, aut innouamus, nos aggredi hanc praxim ex vi verborum Christi Domini, ad imitandas illius virtutes, & ad prosecutionem vltimi finis nostri, vnde contraria vitia nos abduxerant. O Iesu, ad quem alium ibimus? *verba vitæ æternæ habes? verba tua spiritus & vita sunt;* (a) id operantur, quod significant, quando nos alloqueris, vt abnegetur nosmetipsos, vt tollamus crucem nostram, & sequamur te; serio sanè volumus, & satis est meminisse, atque mentis auribus

14

haurire

(a) Ioan. 11.

haurire tua verba, quasi nos alloquereris, v
semper velimus: & sola tuorum verborum
tuæque personæ recordatio idem efficit in
anima fideli, tuique amante, quod olim in
oculis & auribus eorum, qui te coramintue
bantur, aut loquenti auscultabant.

COMPENDIVM MEDITATIONIS
in duodecimam veritatem.

I. P V N C T V M.

Declaratio eiusdem.

A Ppositè in sacris litteris nominat
Christus verbum abbreviatum, & abbre
uians quod à Patre æterno factus sit, vel
Epitome veteris testamenti, & ipse totam
artem sui Euangelij contraxerit in hæc tri
verba. *Abstine, Sustine & Age*, quæ hac moni
mentis omnibus dignissima sententia conti
nentur: *Qui vult venire post me abneget semetipsum
sollat crucem suam, & sequatur me.*

Abnegare semetipsum, est abstinere cupid
tatibus nimum naturalibus, quibus in be
num sensuale semper proni ferimur. Toller
crucem suam, est sustinere tædia & difficu
tates, quas ferendo malo sensibili, quod a
exequendam Dei voluntatem, ferendum est
experimur. Et sequi Iesum est oblata qua
cunque opportunitate agere potius ex præ
scrip

scripto gratiæ quam naturæ ; potiùs ad illius exemplum, ad fines & intentiones illius, quam ob rationes humanas, aut consilia merè naturalia.

Quisquisvsum nouit horum verborum, idem quoque perspectam habet virtutem omnium, in Euangelio commendatarum experientiam: nam iustitia Christiana, quæ virtutes omnes complectitur, duo dumtaxat à nobis exigit, vt declinemus à malo, & faciamus bonum: à malo autem declinamus, abstinendo & sustinendo ; & facimus bonum, agendo ex spiritu & exemplis Christi Iesu. Anime mi, ne causare ignorantiam, si non satagis de perfectione tua ; tria tantùm scire verba, & quæ sciueris, exequi oportet, vt debitam perfectionem assequaris.

II. P V N C T V M.

Aduersio ad vitam præteritam præsentemque.

M Agnum hîc tibi argumentum offertur detestandæ vitæ præteritæ, quæ tota per actus hisce tribus oppositos, traducta est, quæq; plurimos vitiorum habitus contraxit, vnde tibi euadet virtutum exercitatio difficilior at grauissimum, quod ex præteritis; tibi reliquum est, malum, & ex quo metuere iure potes magnum futuris temporibus

impedimentum, est error aliquis, quo mentem tuam imbuat proprius amor, dum persuasit, hinc nihil magnoperè contendendum, ut disceres abstinere, quasi id, præfustinendo, foret leuissimum; illinc verò vix inducis in animum, ut discas sustinere, ita vocem illam horret naturæ genius, metuisque scire, quod facere non allubescit. Vnde fit, ut, tamen si duo, triaue tantum verba perdiscenda sint, haud magis proficimus, quam si totam molem sacrorum voluminum scire nos oporteret, eò quòd, hæc verba solo vsu exercitationeque addiscantur, quam adhibere recusamus: parui pendimus ea, quæ scitu facilia videntur, quæ verò difficilia, defugimus, adeoque nihil vnquam scimus aliud, quam ex naturæ legibus viuere quòd modum ei resistendi, quem docent illa verba, non ediscamus.

Anime mi, si tam expeditum tibi videretur, abstinere, cur occasione nata non abstines? & si nescis sustinere, cur non adhibes operam ut scias, maximè cum hinc non exaggeretur labor sustineadi? Imò verò istud potissimum laborem minuit, & difficultatem, si pati scias. Agnosce igitur culpam tuam, & dole.

III. PVN.

III. P V N C T V M.

Propositum in futurum.

Deliberatum iam quidem est, sed nihil dum mādatur executioni, semper enim procrastinamus; Itaque omnis cunctatio nobis abrumpenda est, statuendumque iam nunc aggredi exercitationem trium illorum actuum, quos Christus verbo & exemplo nos docuit, & quia nos docuit, eoque inuitat.

Expictetur, atque alij nonnulli Philosophi, lumine rationis hanc quidem morum doctrinam assecuti sunt, alijsque tradiderunt, sed non exercuere, neque eum exercendi modum docere potuerunt, quem docuit Iesus: facit enim id modo prorsus supernaturali & spirituali; nam cum sectemur vitam spirituales, sitam in usu trium horum verborum, ipsum quoque usum omninō spirituales esse, necessum est; non erit autem unquam spiritualior, quam si solum Iesum habeamus prae oculis, quo nihil sublimius, sed neque facilius cogitari potest, cum Deus idem sit & Homo, inde obiectum intelligentiæ nobilissimum, hinc, quā homo est, expeditissimum, solius Dei cogitatio perquam difficilis est, solius hominis, vilior est, quam ut animum expleat, at Dei simul & hominis eius-

modi est, ut in ea possit & intellectus & voluntas conquiescere; Non semper mihi liquet velintne Deus hisce vel illis obiectis me mentem applicare; sed illud habeo exploratissimum, placere illi, ut semper cogitem de filio eius Iesu Christo, quem quoties cogitaueroroties eadem, cum illo, fruor cogitatione, quandoquidem Deus vnā habeat solum cogitationem verbum scilicet suum, & Filium, quo res omnes cæteras cognoscit, creatque.

Vtinam hæc animæ nunquam excidat cogitatio, ne tum quidem cum à corpore dissoluetur! nam nulla, neque viuenti, neque morienti potest esse salubrior, suauiorque.

CONSIDERATIO in quartum diem.

*De Orationibus, quæ voce proferuntur,
seu ea fiant ex obligatione, seu
spontanea pietate.*

1. **I**N præsentia Dei constitutus, & implorata eius ope in rem præsentem necessaria, gratias age Christo Domino ob traditam nobis precandi formulam, quam orationem vocamus dominicam, quæque omnium est nobilissima, facillima, & maximè efficax.

2. Con-

2. Considera , quandoquidem Christus de effectu precum nostrarum , modò benè recteque fiant, nos iusserit esse securos, & dubitari nequeat, quin hæc sit perfecta atque modis omnibus absoluta, deberemus utique fieri compotes omnium, quæ in illa continentur, nisi nos obicem poneremus, qualem tu maximè opponis?

3. Sic aduerte tuos defectus debitæ reuerentiæ & attentionis, ut simul etiã agnoscas interiora tua cum postulatis tuis non consentire, respice ea, quæ postulas; ab ijs tam procul cor tuum, quàm vitium à virtute; nam septem petitiones huius Diuinæ orationis complectuntur septem virtutes totidem capitalibus vitijs oppositas; & donec erit cor hisce vitijs deditum, non applicabitur sanè orationi. An non graue istud impedimentum est?

4. Prima Petitio, *Sanctificetur nomen tuum*, opponitur superbix nostri nominis existimationem apud homines occupanti. Altera, *Adueriat regnum tuum*, repugnat avaritiæ, quæ magis huius, quàm alterius vitæ bonis inhiat. Tertia, *Fiat voluntas tua*, oppugnat Iram, quæ casibus à diuina voluntate prouenientibus indignatur. Quarta, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, pudorem incutere debet Gulæ nostræ, cupedias & lautitias sectanti. Quinta, *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris*, exprobrat nobis

nobis nostras Inuidias & vindictæ cupiditates quas aduersus alios in animo fouemus. Sexta, *Ne nos inducas in tentationem*, accusat illam viuendi licentiam, quâ inducimus nos ipsos in mala, quæ nec nominare, nec cogitare fas est. Septima, *Libera nos à malo*, inuehitur in accediam, quæ nõ permittit nos cum Deo laborare, ad euadenda illa mala, quorum liberationem nos cupere simulamus. Hi sunt veri obices, qui non remouentur, nisi inter orandum, ea vitia detesteris, aut seridè desideres virtutes illis oppositas.

5. Lege in libello Exercitiorum tres orandi modos, qui vsui esse possunt in ægritudine, in itineribus, aut cum Meditatio commodè institui non potest.

6. Est & alius orandi modus per preces, ut vocant, Iaculatorias, quæ identidem, pro deuotione, & aliis occurrentibus necessitatibus vsurpantur. Quis tibi illarum vsus est?

7. Preces ex obligatione, semper anteferendæ sunt ijs, quæ ex deuotione assumuntur: obligatio nobis oritur vel à statu præcipiente officium diuinum, quod Breuiarium dicimus: vel à Regula quædam preces indicente, vel à sacramento Pœnitentiæ, vel ab aliquo superiorum præscripto, vel à voto nuncupato, vel denique ab aliqua necessitate, à qua sine peculiari diuinæ opis auxilio emergere non possumus. Quomodo in ijs te geris?

8. Offi-

8. Officij Diuini recitatio tribus conditionibus affecta esse deberet, nempe vt fiat attentè, religiosè, & tempore suo : vbi tu potissimum offendis, & quod remedium?

9. Preces deuotionis spontaneæ non sunt recitandæ cum scrupulo & anxietate, sed neque etiam ex negligentia & animi leuitate, omittendæ. Istudne attendis?

10. Sunt aliæ breues precatiunculæ, quas quotidie sine attentione ulla aut sensu pietatis effundis, cuiusmodi est Angelica saluatio ad pulsum campanæ, matutinis, meridianis & vespertinis horis; Benedictio & Gratiarum actio ad mensam, persequere hoc modo reliquas, & emenda.

11. Inter preces deuotionis, quas Christo & sanctissimæ eius matri persolaturus es, locum habeant Litanæ de nomine Iesu, & de B. Virgine : & si precariam Corollam quotidie potes euoluere, quidni velis?

12. At præcipua quadam religione, adeas visitandi gratiâ Venerabile Sacramentum, idque frequenter, ardentè, & cum reuerentia sed filiali, amicaque.

13. Nihil vnquam aggrediaris, non ab opere desiste, non domo, ne cubili quidem exeas, nulla tibi hora prætereat, sine aliqua prece; nunquid hoc potes?

14. Habe versus aliquot ex psalmis, aut alijs sacris libris, tibi familiares, manda memoriæ locum aliquem, aut ex oratione matutina

tina

tina delige aliquid, quod reliquo die tibi deseruiat: aut denique laxa habenas cordituo vt ex occasione Deum pro arbitratu alloquatur.

15. Qua religione es in Angelum tuum tutelarem, in Patronum nominis, in sanctum menstrua sortitione tibi obuientem, in alios Cælites, quorum patrociniū aut dignitas ad peculiarem cultum te obligat?

16. Quomodo vteris rebus, quas vocant sacramentales, quæ semper aliquam nobis gratiam & fauorem conciliant, si debita reuerentia usurpentur, vt sunt aqua lustralis, Cera benedicta, Rami, candelæ, Imagines sanctorum, eorumque reliquie, numismata; & Indulgentiæ? an non residet in animo quidam rerum similium contemptus, quædam incredulitas, quidam neglectus?

17. Quas fundis preces pro Ecclesia, pro superioribus, pro benefactoribus, pro amicis & inimicis tuis, pro animarum conuersione, pro vitâ functis, proque alijs necessitatibus? Preces in eam rem ab Ecclesiâ compositæ semper efficacissimæ sunt.

18. Si te aliorum precibus commendas, nonne vis vt tui peculiariter meminerint, idem igitur & tu redhibe ijs officium, qui se tibi commendarunt.

19. Preces tuæ nunquam spectent aliquid absolutè, sed subiectæ sint Diuinæ voluntati, cui melius, quàm nobis perspectæ sunt necessitates

cessitates & vtilitates nostræ; sint etiam vni-
tæ meritis & intentionibus Christi Domini:
& potius procedant à Spiritu sancto, cuius
gemitus inenarrabiles omnibus nostris naturali-
bus desiderijs & votis, potentiores sunt.

20. Agnosce multa defuisse precibus tuis,
veniam pete, & gratiam emendationis.

L E C T I O N E S.

Ex scriptura Caput 2. Ieremiæ 15. S. Lucæ, &
6. Epistolæ 2. ad Corinthios.

Ex libello Exercitiorum. Meditatio de regno
Christi posita initio secundæ hebdomadis.
Item de duobus vexillis.

Ex Thomæ Kempensi Caput 1. 7. & 8. secundi
lib.